Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26370
Copyright: Admont, Benediktinerstift

lux illa campi florentis eximia, in cuius comparatione eius quae nunc apparuit lu
cis tenuissima prorsus videbatur et parva. In cuius amenitate loci
cum nos intraturos sperarem, repente ductor meus substitit. Nec mo
ra gressum retorquens, ipsa me qua venimus via reduxit. Cumque reversi
perveniremus ad mansiones illas letas spirituum candidatorum, dixit mihi:
Scis que sint ista omnia que vidisti? Respondi ego: Non. Et ait: Val
lis illa quam aspexisti flammis ferventibus et frigoribus horrenda
rigidis, ipse est locus in quo examinande et castigande sunt anime illorum,
qui differentes confiteri et emendare scelera que fecerant, in ipso tan
dem mortis articulo ad penitentiam confugiunt, et sic de corpore
exeunt. Qui tamen quia confessionem et penitentiam vel in morte habu
erunt, omnes in die iudicii ad regnum celorum perveniunt. Multos
autem preces viventium et elemosine et ieiunia et maxime celebra
tio missarum, ut etiam ante diem iudicii liberentur, adiuvant. Por
ro puteus ille flammivomus ac putidus quem vidisti, ipsum est os gehen
ne, in quod quicumque semel inciderit, numquam inde liberabitur in evum.
Locus vero iste florifer, in quo pulcherrimam hanc iuventutem iocunda
ri ac fulgere conspicis, ipse est in quo recipiuntur anime eorum qui in bo
nis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen sunt tante perfectionis ut in
regnum celorum statim mereantur introduci; qui tamen omnes in die iudicii ad
visionem Christi et gaudia regni celestis intrabunt. Nam quicumque in
omni verbo et opere et cogitatione perfecti sunt, mox de corpore egressi
ad regnum celeste perveniunt, ad cuius vicinia pertinet locus ille ubi so
num cantilene dulcis cum odore suavitatis ac splendore lucis
audisti.